Martyr ut palma florens.

præsertim insigne, & spei semper vernantis emblema; quia arbor semper viridis, sursum erecta, etiam dum oneribus premitur. Quapropter S. Hierony. in cap. Isaiæ 65. 22. *Justus ut palma florebit, quotidiè triumphans de adversariis, & insigne victoriæ præferens.* Secundò, *sicut cedrus libani multiplicabitur.* Alii efferunt *crescet, diffundet se se, eminebit, frondescet, assurget in altum.* Nec mirum cùm sint in domo Domini plantati, id est, Deo ipsi adhæreant tenacissimè per spem in illo fixam. Subinde, in atriis domus Dei nostri *florebunt.* S. Hieronym. *germinabunt.* Tertiò, *adhuc multiplicabuntur in senecta uberi.* S. Hieronymus; *fructificabunt.* Alii; *germinabunt, florescent.* Quartò, *& benè patientes erunt, ut annuncient.* S. Hierony. *frondentes erunt.* Hebraicè, *virides, validi benè, germinantes, & floridi erunt.* Pro *patientes* ponitur græca vox, quæ (ut noster Lorinus observat) significat facilè pati, & affici, obnoxium esse injuriæ, expositum corpus injuriis habere. De Martyribus potissimum videtur sermo, quorum spes in Deo eos vernantes reddit, florescentes, germinantes, & fructuosos inter adversa quæque, & mortis discrimina.

S. Hiero.

S. Hiero.

CAP. XIII.

Spes levamentum Martyribus magnum, magnumque, inter acerbissima cruciamenta, solatium adducit.

Prov. 10. 28.

790 SUnt in primis pro hoc instituto opportuna Salomonis verba Prover. 10. 28. *Expectatio Justorum lætitia; spes autem impiorum peribit.* Sermo est in posteriori hemistichio de impiorum spe, quæ incerta est omnino, & anceps, utpotè in rebus incertis, & caducis collocata; atque adeò frustrabilis, & non nisi dolorem, & angorem afferens. Longè aliter Martyrum spes, quæ tanta est, tamquam certa, & constans, ut ad magnos labores, & ingentes tribulationes generosè subeundas animum erigat, lætitia atque incredili alacritate perfundat. Propterea illorum *expectatio* seu *spes*, non læta modò, sed *lætitia* ipsa appellatur. Ex spe enim redundat gaudium; & usque eò copulantur *spes*, atque *lætitia*, ut spem habere idem sit in scriptura, atque eximiè lætari. Job 22. 26. *Super omnipotentem delitiis affluès, & elevabis ad Deum faciem tuam.* Ubi *delitiis affluere* est vero frui ac solido gaudio, & profusâ quadam hilaritate. LXX. exprimunt tam effusæ exultationis causam, ostenduntque idem prorsus esse summo gaudio affici atque in Domino sperare: *Tunc fiducialiter ages coram Domino, inspiciens cælum hilariter.* Et cap. 27. 8. agens de impiis, qui spem suam in humanis commodis, & ornamentis collocabant, affirmat, cùm durum aliquid paterentur, aut timerent, in summas redactos fuisse angustias, & mœrores, quia spes in Deo aberat, quæ mœrentem animum consolatur, & exhilarat in benè duro malorum conflictu. *Quæ est spes hypocritæ si avarè rapiat? Numquid Deus audiet clamorem ejus, cùm venerit super eum angustia?* Minimè audiet. Quare? Quia spes in Deo non adest, ac proinde neque impendentis mali effugium, aut levamentum per gaudium, & lætitiam ex spe in Deo redundantem. Propterea subtexit: *aut poterit in omnipotenti delectari?* LXX. transferunt; *habet ne fiduciam*, aut *spem coram eo?* At justus sic premitur, ut non deprimatur dolore, & cruciamentis; sic acerba quæque subit, ut incredibili perfundatur gaudio, & lætitia, nam hæc ita cum spe in divino Numine fixa connectuntur, ut idem omnino esse videantur. Sic etiam Isaias cap. 58. 14. agens de illis, qui nihil faciunt, quod propria suggerit, aut suadet voluntas, subtexit, *Tunc delectaberis super Dominum: & sustollam te super altitudines terræ.* Priora verba sic efferunt LXX. *Eris confidens super Dominum*: aut *eris sperans in Dominum.* Spes in Deo extat illis summa delectatio, materiam illis præbet exultandi, ac jubilandi ore pleno, etiam dum dira quæque pro Christo oppetunt, verâ quadam rerum humanarum despicientiâ calcantes damna omnia, & mundi commoda.

Spes, & lætitia idem.

Job 22.

Mundana spes mœrori adsociata.

Job 27. 8.

Non sic spes in Deo.

791 Subinde Apostolus ad Roman. 12. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Spe gaudere dixit, quasi spes ipsa verum, ac solidum sit gaudium, quo Martyres afficiuntur, dùm tribulationes patienter subeunt; imò tanto gaudio perfusi magnas tribulationes, & cruciamenta jucundè perferunt. Ad quæ verba audi S. Augustin. in Psal. 127. v. 3. ubi commendans Martyrum spem, & ex spe gaudium, ita. *Magnum gaudium habet gaudentis spes. Et si spe gaudentes: videte quid sequatur, in tribulatione patientes, Martyres ergò ideò in tribulatione patientes, quia spe gaudebant.* Non dissimiles sunt alii Patres in Paulini pronunciati explicatione. Verùm nefas duxerim silentio præterire verba S. Basil. Homiliâ de gratiarum actione, ubi ita splendidè, & magnificè. *Dixerim beatos, qui æquanimiter ferunt præsentis vitæ incommoda certa spe sæculi illius futuri; quique præsentia æternis permutant, etiamsi media in flamma degant, qui Deo conniti sunt exemplo trium puerorum juxta Babylonem, quamlibet unà cum leonibus in carcere detineantur, quamvis ab immani cæto absorpti sint; hos à nobis liceat felices prædicari ac beatos, eosque vivere gaudio perfusos, non quidem præsentium contuitu angore contractos, magis autem spe nixos eorum, quæ in futurum reposita nobis sunt, mirabili jucunditate recreatos.* Quod latè adhuc illustrat pro Martyrum gaudio ex spe concepto.

Martyres spe, quasi gaudio ipso, gaudentes.

S. August.

S. Basil.

792 Generosus Dei Athleta, & Martyr inclytus Job ab ipso Sathana immanissima bellua atrocissimè excarnificatus à summis unguibus usque ad capitis verticem; in sterquilinio depositus ridebat, & ludebat affatim incredibili perfusus hilaritate: ut argutè meditatur Tertullianus lib. de Patientia cap. 14. *Quid? ridebat Deus* (certè ad risum sui Martyris) *Quid? dissecabatur malus.* Unde hoc? *Cùm Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret* (testâ enim radebat saniem in sterquilinio) *cùm erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo revocaret.* Cerneres in Jobi corpore speluncas vestas plenas foraminibus, unde vermes erumpebant: cerneres tunc Martyrem invictissimum tanto affectum gaudio, tanta perfusum lætitia & exultatione, ut risu quodam, atque hilari lusu, vermiculantes

Job in sterquilinio hilaris nimiùm operè.

Tertullia.

tes bestiolas ex ulceribus erumpentes ad pastum *ludendo* revocaret, ne alimento carerent; vel potiùs ut majores diuturniorèsque essent cruciatus. Unde, rogo, tam inusitatum gaudium in Deum ipsum quodammodo redundans, risus, & lusus, inter cruciamenta, vel dictu etiam horribilia? Certè, ut opinor, ab una spei Virtute in Deo fixa, & animo suo altè reposita. Quod ipse Jobus videtur fateri luculenter cap. 19. 27. Ubi novâ quadam illustratione cælitùs eruditus futuram animæ beatitudinem, & corporum resurrectionem ad Christi Domini exemplar agnoscens, spe tantæ felicitatis erectissimâ omnem sibi mærorem detersit, maximoperè est recreatus, confirmatus, & eximio perfusus gaudio. Hanc ille spem, & nova, quæ ei affulsere, solatia, non nisi cordis sive præcordiorum custodiæ credidit perpetuò conservanda: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*: penitùs infixi, & intimiùs in corde abstrusi, uti rem charissimam, & pretiosissimam; quæ languentem animum reficiat, & integret, præcordia exhilaret, & vitam inter immanissimos cruciatus faciat esse vitalem, & jucundam. Nam *jucunditas cordis hæc est vita hominis.* Certè ad ingentem voluptatem, atque summum cordis solatium, prementibus adversis, quid spe ipsa in Deo collatâ opportunius?

Ob spem in Deo fixam, quæ mœrorem detersit.

Job 19. 27

793 Premo etiam hic pulchrum illud Salomonis effatum Proverb. 13. 12. *Spes, quæ differtur affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens.* Ex Hebræo efferas, *Lignum vivificationum, sanitatum, suscitationum, extructionum, instaurationum.* De paradisi ligno intelligit Rodulphus; & priora verba de caduca bonorum corruptibilium spe mirum in modum angente animum, quia suos spectatores deludit: posteriora verba capit de spe immortalium bonorum in Deo fixâ. Quæ jure meritò ligno vitæ, seu vitarum assimilatur; quia vitam elargitur omni voluptate plenam, ab omni ærumna, & dolore alienam, illi adsimilem, quam in paradiso arboris vitæ seu vitarum fructus vescentibus præbebat. Etenim, conditus à Deo est Paradisus voluptatis, ac deliciarum, in quo summus artifex magnificentiæ suæ dulcedinem demonstravit. *Cùm igitur Scripturam audieris enarrantem quæ pertinent ad paradisum, omnibus affectionibus semotis, ad cor tuum converte animum, atque reperies ibi paradisum.* Monet sapienter, & piè Divus Marcus Heremita in Opusculo de Paradiso, & lege spirituali. In hoc cordis humani horto divinissimo productum à Deo est omne genus arborum, plantarum, florum atque herbarum, omnigenas videlicèt Virtutes, quæ varietate sua, multitudine, ac jucundissima suavitate animum reficiunt, atque exhilarant. Inter Theologicas Virtutes medium tenet locum *Spes* Christiana, quam percommodè appellat Rex sapiens *lignum*, seu *arborem vitæ*: arbor certè pulcherrima, ramis & frondibus nemorosa semper, proceritate excelsa, frugifera, florida: arbor suavissimæ jucunditatis, cordi, & animo deliciosissima: quâ qui fruitur, jucundissimè semper atque beatissimè vivit; cum vitalis arbor sit, ejusque poma vivifica ambrosiâ, nectare, nepenthe, Deorum immortalium potione, & cibo expressa, sonant enim omnia vacuitatem ab angoribus, dolore, morte, omnique mole ia. Arbor hæc in Jobi ac reliquorum Martyrum corde, veluti in amænissimo Paradiso plantata, ac Deo fixa, illis erat vivificationi, sanitati, suscitationi, extructioni, instaurationi, voluptati, hilaritati, jucunditati. Quod si arbor illa terrestris Paradisi, specimen quoddam erat, figura atque adumbratio, æternæ felicitatis cumulatissimè, ac perpetuò degustandæ in cælesti Paradiso; ita ut in ea arbore prægustarentur quodammodo æternæ beatitudinis deliciæ, & fructus; id quoque potiore jure prædicandum de spe Theologica. Ut enim peregregiè S. Laurent. Justin. in ligno vitæ cap. 2. de spe: *Spes in possessionem regni cælestis animam quodammodo introducit, & existentibus in hac vita mortali immortalem attingere facit: sicut legitur de Beatis Martyribus scriptum: si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Ab illis enim, dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis evidenter asseritur, & suaviter degustatur.* Hoc illud est procul dubio, quod Salomon dicit: *Lignum vitæ desiderium veniens*: quia per spem, jam jam æternum gaudium, ac deliciæ venire sentiuntur, & magna ex parte tenentur. Quid mirum tanta perfundantur hilaritate ac jucunditate Martyres inter acerbissima quæque cruciamenta, si tale illis ærumnarum levamentum præstò aderat?

D. Marc.

Prov. 13. 12.

Spes in possessionem regni cælestis Martyres introducit.

S. Justin.

794 Denique si plura Patrum suffragia, eaque præclarissima videre cupis ad rem præsentem, lege Sanct. Macharium Homil. 26. S. Chrysostom. Homil. 3. de Provident. Dei, S. Basili. in Psalm. 1. 1. & Homil. de Gratiarum actione. Origenem Homil. 9. in Exodum, ubi ita. *Futurorum spes laborantibus requiem, & solatium parit; sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ.* Astipulatur Augustinus in Serm. 10. ad fratres in Heremo: *O spes tu omnia portare facis dulciter, & suaviter: per te Apostoli ad mortem gaudentes perrexerunt.* Atque interim, ut innumeris aliis parcam, audi S. Lauren. Justini. in ligno vitæ, cap. 2. *Spes patienter portare facit onus præsentis miseriæ. Ille etenim bene novit in exterioribus miseriis sustinere, qui scit de spe interna semper gaudere.* Quibus omnibus major splendor accrescet ex dicendis capite sequenti.

Orige.

S. August.

S. Justin.

CAP. XIV.

Martyres, ratione Spei, quâ pollebant, æternas gloriæ delicias præguſtabant, adhùc inter acerbissima cruciamenta.

795 PRæfixum hoc institutum spectant in primis verba Salomonis Sapie. 3. 4. ubi sermo est (juxta multorum Patrum mentem) de Sanctorum Martyrum certaminibus, & spe, qua in ipso martyrio roborabantur ad ardua quæque subeunda. Sic putant Interpretum non pauci. *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Atqui Martyrum spes dicitur *immortalitate plena*, eâ (ut par est credere) de causa, quia adhuc in hac vita existentes, cruciamenta, & mortem oppetentes, usque adeò spe certa atque indu-

Sap. 3. 4.